



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**B. Alberti Doctoris Magni ex Ordine Prædicatorum  
Episcopi Ratisponensis De Adhærendo Deo Libellvs**

**Johannes <de Castello>  
Albertus <Magnus>**

**Antverpiae, 1621**

Cap. II. Qualiter quis omnibus aliis spretis soli Christo inhæreat & intendat.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-44148**

DE ADHÆRENDO DEO LIE. 9  
illud Matth. 6. *Cum adoraueris, intra in* Matth. 6.  
*cubiculum tuum, id est, cordis tui inti-*  
*ma: & clauso ostio, scilicet sensuum*  
*tuorum, & inibi corde puro, & con-*  
*scientia bona, & fide non ficta ora Pa-*  
*trem tuum in spiritu & veritate in abs-*  
*conso. Quod tunc congruè fit, cùm ho-*  
*mō ab omnibus alijs fuerit exoccupa-*  
*tus & exutus, & totus intra se receptus;*  
*vbi vniuersis & singulis exclusis &*  
*oblitis, coram Iesu Christo, tacito ore,*  
*sola mens desideria sua securè Domino*  
*Deo suo fiducialiter pandit, ac per hoc*  
*toto cordis & amoris affectu se in eum*  
*intimissimis medullis omnium virium*  
*suarum sincerissimè ac plenissimè dif-*  
*fundit & immergit, dilatat & inflam-*  
*mat, & resoluit in se.*

## CAP V T II.

*Qualiter quis omnibus aliis spretis.*  
*soli Christo inhæreat & intendat.*

**V**ERVMTAMEN quicumque talem-  
statum aggredi & ingredi deside-  
rat & satagit, opus est omnino, ut velut  
clausis oculis & sensibus, de nullo se

A 5 peni-

penitus impicit aut perturbet, sollicitus sit aut curet; sed cuncta tamquam impertinentia & noxia ac perniciosa funditus excutiat. deinde se totum intra se recipiat, nec aliud umquam obiectum inibi mente attendat, quam solum Iesum Christum vulneratum; sicque per eum in eum, id est, per hominem in Deum, per vulnera humanitatis ad intimam diuinitatis suæ, sedulò & omnixè intendat: ibique se suaque singula ac cuncta, indiscussè, suæ infatigabili prouidentiæ committat expeditè & securè, ituxta illud Petri: *Omnem sollicitudinem proiicientes in eum, qui potest omnia.* Et iterum: *Nihil solliciti sitis.* Et rursus: *Iacta cogitatum tuum in Dominum,* & ipse te enutriet. Et iterum: *Michi adhærere Deo, bonum est.* Et: *Prouidebam Dominum in conspectu meo semper.* Et Sponsa in Canticis: *Inneni quem diligit anima mea.* quippe venerunt mihi omnia bona pariter cum illa. Nempe hic est thesaurus ille cœlestis absconditus, nec non margarita pretiosa, quæ præ omnibus comparata fiducia humili, conatu instantissimo, taciturnitate tranquilla, et iam usque ad corporalis commodi, laudis

1. Pet. 5.

Philip. 4.

Psal. 54.

Psal. 74.

Psal. 15.

Cant. 3.

Sap. 7.

DE ADHÆRENDO DEO LIE. II  
dis vel honoris iacturam, in fortitudine  
spiritus quæritur. Alioquin quid pro-  
ficit Religiosus, si totum mundum lu-  
cretur, & animæ suæ detrimentum pa-  
tiatur? Aut quid relevat status, profes-  
sionis sanctitas, perfectionis habitus,  
tonsura, & exterioris dispositio conuer-  
sationis; sine vita in spiritu humilitatis  
& veritatis, vbi Christus habitat per  
fidem charitate formatam? Hinc est il-  
lud Lucæ 17. *Regnum Dei intra vos est*, *Luc. 17.*  
quod est Christus Iesus.

### CAPVT III.

*Quæ sit conformitas perfectionis  
hominis in hac vita.*

**P**ORRO quantò plus mens sollicita  
est ad ista inferiora & humana co-  
gitanda & tractanda, tantò plus à supe-  
rioribus & cælestibus per deuotionis  
intima elongatur: & quantò feruentius  
ab inferiorum memoria, affectu & in-  
tellectu ad superiora sensus colligitur,  
tantò perfectior erit oratio, & purior  
contemplatio: quia simul perfectè non  
potest esse vtrisque intenta, quæ sicut

A 6 lux